

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 15. Novembris.

M. PETRO DAQUIN

DOCTORE MEDICO, ET REGIS ordinario Medico Præside.

An vultu matri similes patrem animo referunt.

I.

GENEROSA prole beata parentum fœcunditas varios suæ felicitatis gradus, temperie natorum simili, æquo virium robore, firmæ valetudinis, & non degeneris animi explorata ſpe diſtinguit, & notat, at nunquam illa ſeſe lætior extulit, quam propter exactam parentes inter & natos ſimilitudinem, qua quidquid in utroque parente optimum eſt, totum in liberos ſic tranſmittitur, ut quod in altero parente ſeorſim excellit, in prole expreſſum ſeorſim quoque emineat, & cum paterna maternaque corporis & animi bona obtineat filius, ἀμφιθαλής, quantum à patre tulerit, ſepoſita matris laude, poſſit agnoſci. Equidem viri proprium eſt præſtare animo; muliebre, & matris

præcipuum eſt, quod in vultu potiſſimum elucet, formæ decus. Igitur cum futuræ prolis in ſpem ambo convenerint, & ſuis uterque bonis ditandam ſuſceperit: ecquid parentum vota cumulatius implere poteſt, quam proles vultu matrem, patrem animo referens? Talem creari fortibus natura nunquam negavit.

II.

CAUSÆ, quæ vultum matri, patri ſimilem animum referunt, effectu diſpares, genere & virtute conſentiunt: quæ vis enim primam in cerebro medullæ affuſionem temperat ad animi præſtantiam, eadem os, oculos, nares, aures, patentes foris ad animum vias aperit, atque inchoatam vultus cum alterutro parente ſimilitudinem, aggeſta demum carne, faciei cava implens expreſſioribus lineamentis, ad perfectam patris vel matris imaginem adducit. Animus vero pars hominis præcipua, parentum ſimilis merito habendus eſt, propter ſimilem partium, quibus ille in agendo utitur, temperiem, & conformationem, ambæ ſi congruant, par in filio cum patre, ingenij, & virtutis futura laus. Maxima enim & ſolida natorum cum parentibus ſimilitudo vultus, vel animi, levis vero, quam inceſſus facit, geſtus, vox, nævus alicubi aliquis, hæc corpore tenus natos aſſimilant, nihil animum attingunt, quamvis autem alterum parentem vultus, alterum animus referat nihilo difficilior hujus ex illo conjectura propter ſummam partium conſenſionem, tum quæ animo ſeſe agitanti inſerviunt, tum quæ extrinſecus poſitæ, vultum effingunt, & quaſi in aditu ſedentes, admonent, quis ſit, & quantus, qui intus hoſpes habitat.

III.

ANIMUS ſui quondam architectus domicilij, modo concepta humanæ molis primordia rite coiverint, incæptum generationis opus ita impellit, ut quidquid in ſemine virile magis ineſt, ſincerum ſecernat, & ubertim eo conferat, qua mox ſeſe regia mentis attollet, atque univerſo ſenſuum ſatellitio, ubi ſtatio futura eſt: haud parcius virilitatis aurâ cæteris partibus internis affuſâ. Hac perfectâ ſimilitudinis delineatione, quam duxit noſter ille conditor, totum patrem interiori in cœnaculo depictum recondit. Cætera quæ foris ſpectantur à matre ſumi ſinit; neque enim huic deeſt, quod in natum conferat, atque expreſsâ in vultu imagine ſuum eſſe comprobet; ſic filius utrinque agnoſcendus naſcitur, conſtantibus in vultu animi indiciis, atque inter teneras vultus, matrem referentis blanditias, enitente paterna virtute, ſic explicatæ, qui fulget, in matre frontis honos, dum in puero, aut paulo provectiori tam late ſeſe pandit, laxiora æthereæ mentis palatia paternis opibus condita demonſtrat. Sidereus vero oculorum

ſplendor, & totius faciei ambitus inemendabilis in adultâ quidem ſuaviſſimos mores indicant, quod ſi tantum formæ decus, forti generoſoque viro amica ſors conjunxerit; quid cenſes ſi prima partium in compage pater omnia præbuerit, quæ virili animo conveniunt; aptum cerebri & ſenſuum temperamentum, compactam cordis molem, & ampla in eo ſanguinis & ſpirituum conceptacula, qualis ore, qualis animo futura eſt ſoboles, quam patri, & matri quà ſimilem fore putas?

IV.

PATERNO animo prolem naſci ſemper expedit, vultu materno decet, diverſæ ſimilitudinis conſortio ſolenne animi & formæ diſſidium componente & matre utrobique ad vultum, & corpus, patre ad animum, & mores formandos multo plus conferente. Alterum enim è parentibus unum & totum ore, totum animo referre rara proles valuit; frequentius naſcitur qui fæminea membrorum teneritudine virilem in pectore animum gerat. Res eſt non inſolens utrique parenti vultu ſimilis filius, ſed diverſa in uno vultu effigies & implicita geminæ ſimilitudinis argumenta vulgares ludunt oculos, curata Medici acies perſpicit, & confuſa ſimulachra dividens, quæ ſint cujuſque ſigna intelligit, atque inde varias animi propenſiones, qui morbi vitio parentum à corpore animum percellunt, atque inter natos his maxime fore obnoxium, qui animo magis quam vultu ægrum parentem retulerit: eſt enim vultus cerebri appendix, totius corporis compendium, & dum ex illius propagatis partibus effingitur, hujus plurimos affectus vel inſtantes, vel futuros prænuntiat.

V.

INTER efformandi corporis momenta, quidquid in partibus exprimere animus valeat, haud tamen eſt infinita atque interminata illius vis, hanc moderantur relictæ in ſemine ſpecies, quibus ſuſpenſa opificis agilitas, & in eas ſeſe intendens quales in parentibus, tales in natis partes reddit, uſus facultate, ſtructuræ compoſitione, & lineamentorum conformatione ſimiles. Atqui hæc vel maxime omnem parentum, & natorum ſimilitudinem conſtituunt: quæ tametſi in vultu & iis locis quæ frequentat animus magis inſignia appareant, quam uſpiam in corpore. Attamen difficilem etiamnum habitura ſit intellectum diverſa in uno duorum ſimilitudo, ni bene, quis æſtimaverit, quid in ſemine ſit à patre vel à matre potentius; etenim in ſemine ſunt partes quæ invicto & aliis præpollenti robore formatricem adigunt immutabili typo cedere, & alterum alibi, alibi alterum parentem effingere tranſlatitia ſimilitudine. Utut ſit, quam diverſis ſemen partibus conſtet, eſt tamen illarum quædam comparatio, qua perfectiſſima ſimul, & parenti-

bus ſimillima proles prodire poſſit explicatiſſima, tam felicis ortus ratione commiſſa : ſuſcipiendæ prolis amore parentum vota recolantur, quæ res alterum alteri maxime commendavit hac certe ambo prolem ſimilem optaverint patrem animus, matrem oris & vultus gratia fere commendat, igitur utraque laude neque minor neque diſſimilis proles naſcitura fuit, niſi natura ſui moris oblita quod perfectiſſimum genuit, idem cauſis diſſimillimum edere potuerit.

Ergo vultu matri ſimiles patrem animo referunt.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus Mahieu.	*M. Carolus le Long.*	*M. Martinus Akakia.*
M. Claudius Guerin.	*M. Ludovicus Morin.*	*M. Nicolaus Richard.*
M. Paulus Mattot.	*M. Petrus Lombard.*	*M. Claudius Guerin.*

Proponebat Lutetiæ JOANNES ARMANDUS DE MAUVILLAIN, Pariſinus. A.R.S.H. MDCLXXIV.

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum,